









Defectus Exemplar; es fehlt P. IV.



ax



art 821.

821. a.

BIBLIOTHECÆ ARABICÆ
SPECIMEN



DEO JUVANTE
P R A E S I D E

CHRISTIANO FRIDERICO
SCHNURRER

LITT. GR. ET ORIENTAL. PROF. P. O.

ET DUCALIS STIPENDII THEOLOGICI EPHORO

PRO OBTINENDIS MAGISTERII PHILOSOPHICI HONORIBUS
DIEBUS AUGUST. MDCCXCIX

PUBLICE DEFENDENT

CHRISTOPHORUS FRIDER. MAIER *Stuttgardianus*
JOANNES FRIDER. EHEMANN *Oelbronnensis*
JO. FERDINAND. CHRIST. PFAHLER *Kircho, Teccensis*
JOANNES GEORGIUS ROESCH *Nozingensis*
PHILIPPUS JACOBUS VISCHER *Wimmendensis*
JOANNES FRIDER. TRAUTWEIN *Vinimontanus*
CAROLUS LUDOVICUS LEBRET *Stuttgardianus*
SERENISSIMI STIPENDIARII ET MAGISTERII PHILOSOPHICI CANDIDATI.

TUBINGÆ LITTERIS HOPFFERIANIS.

T 9.



De 50

Bibliothek der
Deutschen
Morgenländischen
Gesellschaft

D: De 50

17 = 1 LP.

Bibliothecæ arabicæ specimen edituris nobis placuit historici geographicique argumenti libros, adhuc editos, potissimum enumerare, quod hoc genus scriptorum videretur omnino ad plures pertinere, quam grammaticæ, lexica, et quæ sunt ad discendam linguam subsidia alia. Et hæc qui noscere cupiat, habet nunc unde possit eorum notitiam reperere, ex quo prodiit a *Catalogue of dictionaries, vocabularies, grammars, and alphabets. in two parts. Pars I. Alphabetic catalogue of authors. II. Chronological catalogue of works in each class of language.* by *William Marsden* — London: printed 1796. 4. pagg. 154. ubi pag. 93—98. conspicitur series ejusmodi librorum ampla quidem et numerosa, neque tamen ita penitus perfecta, quin subinde nonnihil addi possit. Quamquam hic ipse Catalogus nonnisi paucissimis usui esse potest, ne in Anglia quidem facile parabilis, cum suis impensis editum auctor non velit esse venalem. Cæterum, si specimen hoc nostrum intelligentibus haud improbari cognoverimus; fieri possit, ut alias quoque arabicorum librorum classes enumerandas persequamur.

GEOGIUS, vulgo ELMACINUS, الشيخ المكي جرجس gente Aegyptius, natus est anno Hegiræ 620. Christi 1223. et publico munere Scriptoris, كاتب, functus, a christianis tamen sacris nunquam alienus, obiit Damasci a. H. 672. Chr. 1273. Auctor est *Historiæ* inde ab orbe condito usque ad quartum Aegypti regem Malec Addáher Bibars, qui regnum occupavit a. H. 658. Chr. 1259. certe Bodleianus codex, in Catalogo Oxonii 1787. edito pag. 160. num. DCCXV. eo usque progreditur, alius vero, ibid. pag. 163. num. DCCXXXV. in tertio rege subsistit. Altera pars, quæ versatur in rebus ante Muhammedem gestis, inedita est, at haud pauca ex illa passim recitavit J. H. Hottinger, in Smegmate; in *Historia orientali*; in *Historia ecclesiastica*. Alteram *Thomas Erpenius* edidit, sic inscriptam:

— تاريخ المسلمين من محمد الي الدولة الاتابكية
id est, *Historia Saracenicæ*, qua res gestæ Muslimorum, inde a Muhammede primo Imperii et Religionis Muslimicæ auctore, usque ad initium imperii Atabacæi, per XLIX imperatorum successionem fidelissime explicantur. Insertis etiam passim Christianorum rebus in Orientis potissimum ecclesiis eodem tempore gestis. Arabice olim exarata à Georgio Elmacino fil. Abuljaseri Elamidi f. Abulmacaremi f. Abultibi. Et Latine reddita opera ac studio Thomæ Erpenii. Accedit et Roderici Ximenez, Archiepiscopi Toletani, *Historia Arabum*, longe accuratius, quam ante, e manuscripto codice expressa. Lugduni Batavorum, ex typographia Erpeniana linguarum orientalium. 1625. fol. pagg. 300. et 39.

Codice Erpenius usus est, teste Hottingero, *Promptuarii*, sive *Bibliothecæ Orientalis* (Heidelberg. 1658. 4.) pag. 76.

qui tum esset Heidelbergensis bibliothecæ, et usque ad annum Heg. 573. Christi 1177. procederet. Sed edita pars ultra ann. 512. Chr. 1118. haud progreditur, quoniam Erpenius morte interceptus (13 Nov. 1524.) reliqua perficere haud poterat: quare factum est, ut præfandi officio fungeretur Jacobus Golius. Reliquum quod est, necdum publici juris factum, *tertia* pars Elmacini dicitur in Ven. Pauli Memorablem, P. I. num. VII.

Prodiit eadem Historia simul *latine tantum*: Historia Saracenicæ, qua res gestæ Muslimorum inde a Muhammede Arabe, usque ad initium imperii Atabacæi — — latine redita opera et studio Thomæ Erpenii. Accedit et Roderici Ximenez — — Lugduni Bat. 1625. 4. pagg. 372 et 75.

Extat alia editio, form. octav. plagg. 38. *pure arabica*, atque ab omni aliena voce tam studiose intacta, ut in ipsius Orientis usus adornata videri possit. Inscriptio arabica eadem, quæ est editionis arabico latinæ. Præfixa libro est epistola arabica, a Jac. Golio putem confecta, ad Lancelotum Andrews, ecclesiæ Winchestriensis in Anglia episcopum, virum magna et eruditionis, etiam in orientalibus litteris, et benevolentia fama conspicuum, qui obiit mense sept. 1626. (British Plutarch. London 1791. 8. Vol. 3. p. 75—83. Extrema epistolæ verba hæc: Scriptum in urbe Leida, quam Deus custodiat, ultimo mensis Martii MDCXXV ab incarnatione filii Dei, a vidua Thomæ Erpenii b. mem. ejusque liberis patre orbis.

Anglica libri versio Londini 1626 prodiisse dicitur in Catalogo impressorum librorum Bibliothecæ Bodleianæ, cura Th. Hyde, Oxon. 1674. fol. pag. 226. voce Elmacinus.

Gallica conversio sic inscripta: L'histoire Mahometane, ou les quarante - neuf Chalifes du Macine divisez en trois livres, contenant un abrégé chronologique de l'histoire Musulmane en general, depuis Mahomet jusques au regne des

François en la terre - sainte, nouvellement traduit d'Arabe en François; avec un sommaire de l'histoire des Mussulmans ou Sarrazins en Espagne, extrait de Rodrigue Ximenes, Archevesque de Toledé, et verifié sur le Macine. Le tout par M^{re} Pierre Vattier conseiller et medecin de Mons. le Duc d'Orleans. premiere edition. a Monseign. le Cardinal. à Paris. M. DC. LVII. 4. pag. 33².

Elmacino parum tribuit Eusebius Renaudot; ita enim in præfatione ad Historiam Patriarcharum Alexandrinorum (o iij b): "Elmacinus ex editione Erpeniana famam in Europa consecutus est, quam in Oriente exiguam habuit, aut plane nullam: non tam quod Christianus foret, quam quod varietate illa qua Arabes delectantur caret ejus historia, cum de viris illustribus vix quicquam referat." Eundem tamen Renaudotium Elmacini novam versionem latinam a se factam ut ederetur post se reliquisset, ex litteris Mich. le Quien refert Gagnier in præfat. ad Abulfedam de vita et rebus gestis Muhammedis, pag. XV inf.

De Erpenii opera judicium Renaudotii (loc. cit. e ij) est hoc: "Primum historici generis opus quod Arabice Latineque prodierit, historia Saracenicæ fuit, quam Thomas Erpenius, cui literæ arabicæ multum debent, Latine interpretatus est: editio utrâque lingua post ejus mortem prodit anno 1620 (1625.) — Sed vir Arabice doctissimus cum stilum Ecclesiasticum prorsus ignoraret, utereturque codice non admodum accurate scripto, prope semper nihil minus quam quod Arabice auctor scripserat, Latine expressit. Nec feliciter aliquando Elmacinum interpretatus est nostra lingua. Vir cæteroque Arabice doctissimus (Vattier), qui Latinam potius versionem secutus videtur, quam Arabica auctoris verba. Ejusdem generis est Anglicana versio quæ Latinam prorsus sequitur."

Mitius pronunciat Reiske, Prodidagm. pag. 227. "El-

7

macini historia bonus est liber. Dolendum, quod Erpenius, vir diligens, neque indoctus, et inter primos Arabismi statores certe maximus, in codicem incidit adeo pravam, ut sæpe et persæpe pravis ex Arabicis multo pejora Latina, ridiculosque et absurdos sensus extuderit. Sed excusandus est vir bonus. Destituebatur illo tempore subsidiis, quæ nostro possidemus."

Emendationes in Elmacinum edidit Kœhler, adjectas Notis et Emendatt. in Theocritum Lubec. 1767. 8. pag. 100—121. coll. pag. 129. deinceps copiosiores, quæ tamen subsistunt pag. 45 editionis Erpenianæ, in Eichhornii Repertor. Part. VII. VIII. XI. XIV. XVII. Idem copiose refert de Elmacino, Repertor. II. pag. 45—53.

Erpenii ipsius in Historiam Saracenicam notæ ineditæ servantur Oxonii in bibliotheca Bodleiana, vid. Catalogus pag. 181. num. DCCCXXXVIII.

ABULPHEDA, seu ISMAEL IBN ALI ABU'L PHEDA,

اسماعيل بن علي — — — ابو الفدا صاحب حياة

provinciæ Hamatensis in Syria primum præfectus, deinde Sultanus, natus Damasci a. Heg. 672. Chr. 1273. mortuus a. Heg. 732 f. 733. Chr. 1332. præter alia condidit et *Historiam*, المختصر في اخبار البشر, inde ab orbe condito ad suam usque ætatem, absolutam a. H. 715. Chr. 1315. et *Geographiam*, تقويم البلدان, confectam a. H. 721. Chr. 1321. Utriusque operis exemplum illud, quod ipse auctor suis manibus tractavit elaboravitque, repertum est atque agnitum a nostratibus, historici quidem Parisiis in bibliotheca Segueriana (Renaudot Histor. Patriarcharum Alexandrin. pag 78.) deinceps translatum in San - Germanensem, geo-

graphici autem Leidæ in bibliotheca academica. Vid. Köhler, Repertor. Part. II. pag. 54. et quos ipse commemorat auctores; quibus accedunt Casiri, Biblioth. Escorialensis Tom. II. pag. 14. et Henr. Alb. Schultens, Biblioth. Criticæ Vol. I. Amstelod. 1779. part. 2. pag. 87. sq.

Historici operis pars, at illa perexigua, pridem edita latino sermone. Etenim locos nonnullos, de rebus a Moslemis in Sicilia gestis, ex codice bibliothecæ regiæ Escorialensis desumptos, nec non ejusdem argumenti excerpta, illis copiosiora, ex Historia Schehaboddini, latine vertit Marcus Dobelius, Citero, professor linguæ arabicæ, ut cum aliis in lucem mittere posset Anton. de Amico, Messanensis. Repetita hæc sunt in Jo. Bapt. Carusii Bibliotheca histor. regni Siciliæ, Tom. I. deinde etiam relata a Lud. Anton. Muratorio in Rerum Italicarum Scriptor. Tom. I. Part. II. Mediolani 1775. fol. pag. 251—254. et denuo edita a Gregorio in rerum Arabicarum Collectione, de qua suo loco dicitur.

Ampliores aliquam partem, eamque graviores, complectitur opus, quod inscriptum est:

Ismael Abu'l - feda, de vita et rebus gestis Mohammedis, Moslemicæ religionis auctoris, et imperii Saracenicæ fundatoris. ex codice msto Pocockiano bibliothecæ Bodleianæ textum Arabicum primus edidit, latine vertit, præfatione et notis illustravit Joannes Gagnier, A. M. Oxoniæ, è theatro Sheldoniano. MDCCXXIII. fol. Præfatio est pagg. XXII. opus ipsum pagg. 160.

Jo. Gagnier, ortu Gallo - Francus, Parisinus, purioris religionis causa profugus, ut ipse testatur in præfatione ad Josephi ben - Gorionis Histor. Jud. latine cum notis a se editam (Oxon. 1706. 4.) venit in Angliam. Oxonii cum privatorum studiorum causa ageret, anno 1717 oblatum sibi munus,

munus, arabicas litteras in scholis publicis tradendi, lubens in se recepit. Itaque auditoribus Historiam Abulfedæ, quæ ab Adamo ad Mohammedem progreditur, exposuit. Ad ipsum Mohammedem ubi ventum est, adeo placuit de vita illius narratio, ut digna auditoribus videretur, quæ latine reddita publici usus fieret. In præfatione agitur legitime et copiose de auctore. Textus ipse in capita LXXIII distributus. In commentario copia est locorum ex variis auctoribus arabicis, etiam ineditis. Studium certe atque industriam nemo æquus in editore desideraverit. Sed linguæ justam peritiam et iudicium criticum in eo desideravit Reiske (Prodidagm. pag. 228.) quo iudice Gagnierius in vertendo sæpe tam infelicitè versatus est, ut integræ paginæ nequeant nisi una litura corrigi. Emendationum partem edidit Kœhler, pag. 86—95 libri sui: Notæ et Emendatt. ad Theocritum &c. Lubec. 1767. 8.

Historiam Abulfedæ recentiore arabice et latine cum notis edere constituit *Joh. Jac. Reiske*, consentiente bibliopola, qui negotio haud impar esset, *Elia Luzac*, Leidense, cujus nomine programma latinum cum specimine arabico vulgatum est anno 1749. lectu haud indignum, et repetitum in *Nachrichten von einer hallischen Bibliothek*, IV. Vol. pag. 456—463. At consilio defuit eventus. Postmodum latinam versionem suam suis sumtibus edere cœpit Reiskius, hoc indice:

Abulfedæ annales Moslemici: latinos ex arabicis fecit *Jo. Jacobus Reiske*. Lipsiæ 1754. 4.

Post copiosam præfationem annales ordiuntur a Mohammede, Islamismi auctore, et subsistunt ad ann. Heg. 406. qui cœpit die Jun. 21 ann. Chr. 1015. Visum erat, opus tertia parte absolvi posse, sed novo volumini non erat locus, quod primum illud emtores non haberet nisi perpaucos. vid. *Reiske's von ihm selbst aufgesetzte Lebens-Ber-*

B



schreibung. pag. 68. Quæ annum 1778 præ se ferunt exempla, ejusdem sunt, non repetitæ, editionis. Verum, quod Reiskio ipsi non contigit expedire, opus post fata ejusdemum habuit eventum prosperrimum.

Abulfedæ annales Muslemici arabice et latine, opera et studio Jo. Jacobi Reiskii, apud Lipsienses quondam profess. celeb. Sumtibus atque auspiciis Petri Friderici Suhmii, S. R. M. Clavigeri et Historiographi regii, nunc primum edidit Jac. Georg. Christianus Adler, theol. et ling. or. prof. extraord. — Tomus I. res gestas a Muhammede usque ad excidium Chalifarum Omniadarum continens. Hafniæ 1789. 4.

Tomus II. continens res gestas sub Chalifis Abbasidis, et Omniadis in Hispania, usque ad annum CCCC. 1790.

Tomus III. continens res gestas ab a. CCCC. ad finem dynastiæ Chalifarum Fathemidarum a. DLXVII. 1791.

Tomus IV. continens res gestas ab anno Fugæ CCCC (DLXVIII.) ad finem a. DCLX. 1792.

Tomus V et ultimus, continens quidquid restat de opere Abulfedæ (h. e. ab a. DCLXI. ad a. DCCXXIX. Chr. 1328) et Indices (inde a pag. 427—574.) 1794.

Vid. Eichhorn. Biblioth. Vol. II. pars 5. Allgem. Literat. Zeitung 1790. Num 97. 1791. Num. 324. 1792. Num. 228. J. D. Michaelis neue Or. und Exeget. Bibliothek. 9. Th. p. 37—49. Quæ de bellis sacris in Abulfedæ Historia passim leguntur, egregie illustravit Frid. Wilken in Commentatione de bellorum cruciatorum ex Abulfeda historia. Gœtting. 1798. 4.

Geographici operis versio latina, anno 1746 intra 45 dies confecta a Jo. Jac. Reiske, edita est in Büsching's Magazin für die neue Historie und Geographie, P. IV. 1770. pag. 121—298. et P. V. 1771. pag. 299—366. Copiose de ea retulit J. D. Michaelis in Biblioth. Part. I.

Completitur illud, post ampla prolegomena, tabulas
XXVIII. positas hoc ordine:

- | | | | |
|----|--|-----|--|
| 1 | Peninsula Arabum. | 15 | Sina. |
| 2 | Aegyptus. | 16 | Insulæ maris orientalis. |
| 3 | Africa. | 17 | Rum seu Natolia. |
| 4 | Hispania. | 18 | Armenia, Iran et Adzerbeigan. |
| 5 | Insulæ maris mediterranei
et atlantici. | 19 | Gabala, seu regio montana,
seu Irâka Persica. |
| 6 | Syria. | 20 | Dailom et Gil, seu Kilan. |
| 7 | Mesopotamia. | 21 | Tabarestan, Mazanderan
et Kumâs. |
| 8 | Irâk. | 22. | Chorasan. |
| 9 | Churestân. | 23 | Zablestân et Gur. |
| 10 | Persia. | 24 | Tocharestân et Badzachsân. |
| 11 | Kermân. | 25 | Chawarezmia. |
| 12 | Segestân. | 26 | Transoxana. |
| 13 | Sendia. | 27 | Mundi latus australe, seu
terræ Nigrorum. |
| 14 | India. | 28 | Mundi latus septentrionale,
ut terræ Francorum,
Turcarum, aliorum. |

Arabice imparibus intervallis in lucem prodierunt partes complures, hæ.

Chorasmiae et Mawaralnahræ, h. e. regionum extra fluvium Oxum descriptio, (arab. et lat.) ex Tabulis Abulfeddæ Ismaelis, principis Hamah. Londini 1650. 4. pagg. 64.

Qui librum edidit, et Jac. Usserio inscripsit, est Joannes Gravius, vulgo Greaves, natus 1602. primum professor Collegii Greshamensis Londini, postea redux ex itinere

Aegyptiaco 1643 constitutus a Carolo I. rege Savilianus prof. Astronomiæ Oxonii, at in turbis civilibus ob fidem regi habitam depulsus 1648 ex statione, obiit Londini 1652. vid. Vitæ quorundam eruditissimorum et illustrium virorum, scriptore Th. Smitho. Lond. 1707. 4. vel Miscellaneous works of Mr John Greaves. to the whole is prefixed an account of the life et writings of the Author, by Thomas Birch. Lond. 1737. 8. In præfatione perperam tradit Gravius, Abulfedam mortuum esse a. Heg. 746. Chr. 1345. quod minus caute, nominis aliqua similitudine inductus, quæ de alio quodam Ismaele tradita deprehendisset, ad Abulfedam ipse traheret; docente id Gagnierio in præfat. ad Vitam Muhammedis, pag. 5. et Sale, Notes on Bayle's Dictionary, Lond. 1734. vol. I. pag. 115. Ejusdem tamen erroris reus est etiam Casiri, qui Biblioth. Escorial. P. II. pag. 15 Auctor, inquit, operis Sukardan inscripti Abulphedæ obitum ad annum Egirianum 746 refert.

Geographiæ veteris scriptorum græcorum minorum cum interpretatione latina, dissertationibus ac annotationibus Henr. Dodwelli, curante Jo. Hudson, Volumen III. Oxonii e theatro Sheldoniano. 1712. 8.

Volumen hoc non modo repetit easdem illas tabulas duas, arab. et latine, nec non binas tabulas geographicas, unam Nassir Eddini Persæ, alteram Ulug Beigi Tatari, operâ Jo. Gravii, quoniam, ut in præfatione dicitur, raro in bibliopolarum officinis occurrant, sed exhibet quoque idem

Abulfedæ descriptionem peninsulæ Arabiæ, ar. et lat. pagg. 76. etiam hanc elaboratam olim a Gravio, cui constitutum erat, universam Abulfedæ geographicam in lucem emittere.

Gallice conversa extat hæc descriptio Arabiæ ad calcem libri: Voyage dans la Palestine, vers le grand Emir, fait par ordre du roi Louis XIV. Amsterd. 1718. 12 maj. Auctor, de la Roque, indicem fecit hunc: Description generale de l'Arabie, faite par le Sultan Ismael Abulfeda, traduite en François sur les meilleurs manuscrits, eclaircie par des notes etc. p. 263—342. In præfatione refert, versionem factam esse ad codicem mstum, quem ex oriente attulerit Petis de la Croix, linguæ arab. professor, postmodum vero passim accommodatam et lectioni et versioni Gravianæ. Et videtur omnino interpres Franco-Gallus strenue usus esse opera Gravii. Lepidum est, quod locum ex Korano, sur. 89, 9. obvium, reddidit: les Tsammoudites à qui les pierres de la valée rendirent reponse, pag. 306. Sed Gravius quoque scripserat: Themudi quibus petræ vallis responsum dederunt, pag. 43. arrepta lectione اجادوا, loco جادوا, qui excavarunt rupes in valle. vid. Sale ad Koran. LXXXIX. pag. 495 edit. in 8.

Universam Abulfedæ Geographiam edere post Gravi-um, aliosque, instituit etiam Jo. Gagnier, institutum publice professus formula edita, quæ et operis rationem et conditiones significaret, hac:

Ismaelis Abulfedæ, principis Hamah, Geographia universalis, in tabulas, secundum climata et regiones, digesta, cum longitudinibus et latitudinibus urbium, locorumque celebriorum, et eorum descriptionibus ad mentem doctissimorum Orientis geographorum numero plusquam LX. auctorum magnorum. Opus præstantissimum, Geographiam sacram æque ac prophanam illustrans, olim a Johanne Gravio, Astronomiæ in academia Oxoniensi professore Saviliano, (post prima Wilhelmi Schickardi tentamina) abhinc jam 76 annis con-

summatum, ut ipsemet præfat. ad binas ejusdem Geographiæ Tabulas, speciminis loco a se editas an. 1650 testatur; sed quod, tempore belli civilis, cum reliqua auctoris domestica supellectile, a perduellionibus oppressum ac perditum lucem non vidit. Nunc vero e codicibus Mss bibliothecæ Bodlej. iisdem nempe, quibus usus fuerat Johannes Gravius, adhibitis insuper in subsidium, qui idem opus ante et post Gravium moliti sunt, viz. Th. Erpenii, Jac. Golii, Sam. Clerici, Henr. Wildii, sed præ cæteris viri incomparabilis, non minus doctrina quam natalium splendore conspicui, Guilielmi Guisii, collegii omnium animarum Oxon. socii, exemplaribus apographis inter se collatis, arabice de-
nuo descripsit, latine vertit, mappis geographicis adornavit, notasque adjecit Johannes Gagnier, A. M. Oxoniæ, e theatro Sheldoniano.

Conditiones:

Totum opus cum variis lectionibus et notis continebit circiter 160 folia sine mappis Geographicis etc. imprimetur vero uno volumine in folio in charta nitida.

Subscriberibus totum opus extradetur post solutionem duorum Guiennensium, quorum unus unacum subscriptione, alter cum traditione libri solvetur. rel.

vid. Museum hist. philol. theologicum, Vol. I. P. II. Bremæ 1728. 8. pag. 355.

Extant typis exscriptæ paginæ 72 formæ maximæ. Reliqua desiderantur, quoniam fato concederet editor. Arabia absolvitur pag. 55. et, interposita diatribe, qua agitur I de arabum et arabicæ nominibus, II de antiquissima divisione arabicæ etc. XI de regione Saracenæ in arabia petraea et hujus nominis etymo, pag. 66 incipit Descriptio Diar Mesr, i. e. provinciarum Aegypti. Typi arabici iidem, quibus Gravius ante exscripta fuerant; textus arabicus, a Gravius hinc inde diversus, appositam habet versionem latinam

novam; subjectæ annotationes modo textum versionemve spectant, modo rebus illustrandis inserviunt.

Abulfedæ Tabula Syriæ cum excerpto geographico ex Ibn ol Wardii geographia et historia naturali. Arabice nunc primum edidit, latine vertit, notis explanavit Jo. Bernhardus Köhler, prof. publ. extraord. philos. et histor. in acad. Kiloniensi. Accessere Jo. Jacobi Reiskii V. C. animadversiones ad Abulfedam et prodidagmata ad historiam et geographiam orientalem. Lipsiæ. 1766. 4 maj.

Præter tabulam Syriæ pag. 1—144 exhibentur quoque excerpta ex prolegomenis Abulfedæ, de Syriæ fluviis, lacubus, montibus, pag. 145—166. Sequitur excerptum ex Ibn Alwardi, pag. 167—192. Reiskius addidit 1. animadversiones ad tabulam Syriæ, p. 193—214. 2. pag. 215—240 prodidagmata ad Hadji Chalifæ librum memorialem rerum a Muhammedanis gestarum, exhibentia introductionem in historiam sic dictam orientalem, (scripta anno 1747.) digna hæc quidem visa Meuselio, quæ integra repeteret Biblioth. Histor. Vol. II. P. I. Lips. 1785. p. 207—204. Primum voluminis locum tenet proœmium editoris copiosum et variæ frugis plenum; sequuntur Addenda et Corrigena, haud pauca.

Egregium opus, Germaniæ apud exteros honorificum, non modo ab omni quæstu alienum fuit, sed sumtuosum potius editori, qui, quod redemptorem non haberet, suis illud impensis curavit: qua re factum est, ut recens etiamnum ne quidem emtu facile esset atque in promptu positum. Quæ supererant exempla 1786 redempta a bibliopola Regiomontano et venalia facta sunt, additis ab Editore paginis aliquot novis, emendationes exhibentibus. Vid. Michaelis neue Bibliothek, P. III. pag. 9 sq. Relatio de hoc libro, quæ ex-

tat in *Novis Actis Eruditorum ad annos 1766 et 1767 publicatis*, Lips. 1768. pag. 233—240 et pag. 377—388 idcirco memorabilis est, quod affert pag. 387 sq. corrigenda quædam et addenda, non ab Reiskio, sed ab editore, Kœhlero, supeditata. Relationis, quæ extat in *Gatterer's Allgem. Histor. Biblioth. P. V. Halle. 1768. pag. 133—159.* teste Meuselio, *Biblioth. Histor. Vol. II. P. I. pag. 20.* auctor est Jo. Ern. Faber.

Abulfedæ descriptio Aegypti, arabice et latine. ex codice Parisiensi edidit, latine vertit, notas adjecit, Joannes David Michaelis — Gœttingæ, 1776. 4 min. pagg. 36 et 28 et 134.

Censuram libri, quam exhibet *Allgem. deutsche Bibliothek Vol. XXXI. (1777.) pag. 371—397.* copiosam illam, et ad multa loca emendanda perutilem, sed ob arabicas voces misere exscriptas turpem ad aspectu, profectam esse a Jo. Bernh. Kœhlero, certum est ex ipsius professione, in *Eichhorn's Repertor. P. II. pag. 63.* Alia censura, non minus gravis at in vituperando acerbior, in *Biblioth. Criticæ Vol. I. P. II. Amstelod. 1777. p. 77—112* auctorem habet *Henr. Alb. Schultensium.* Inprimis autem, qui libro uti velit, consulat, quæ ab Hartmanno, profess. Marburg. observata sunt et relata in *Eichhorn's Allgem. Bibliothek. Vol. V. P. IV. pag. 569—645.*

Abulfedæ Africa, curavit Jo. Godofr. Eichhorn. Gœttingæ. 1791. 8. pagg. 36.

Duo sunt, quæ Eichhornii curæ debentur, 1. *Tabula III, Africa, antehac non edita,* 2. *Tabula XXVII, Nigritia, brevi ante edita a Rinckio, unacum Macrizi Historia etc. Lugd. B. 1790.*

1790. 4. Et Rinckius quidem textum desumpsit ex codice Leidense illo primario. Tabulæ III textus ex quonam fonte haustus sit, paucis significandum. R. Forester 1755 Cantabrigiæ descripsit in privatos usus Abulfedanæ Geographiæ partes seu tabulas octo, hoc ordine: Aegyptus; Africa; Rum; Armenia; Kerman; Segestan; Dailom; Thabarestan; usus codice Erpeniano, manu ipsius Thomæ Erpenii scripto, cuius pag. 63 initium est Tabulæ Aegypti. Hoc Foresteri apographum, minus quidem elegans, at lectu haud difficile, post obitum illius 1770 forte deprehensum Londini in taberna libraria, migravit Tubingam cum emtore, qui Tabulam Africæ a se exscriptam communicavit cum Eichhornio. Editum textum cum Parisiensis codicis apographo, quod nunc est bibliothecæ Gœttingensis, contulit Hartmannus, Eichhorn. Biblioth. Vol. IV. P. III. pag. 520—622. Accessiones atque emendationes ad Eichhorn. editionem dedit Rinckius, Memorabilien, P. III. pag. 126—140.

Abulfedæ tabulæ quædam geographicæ et alia ejusdem argumenti specimina e codd. Biblioth. Leidensis nunc primum arabice edidit Frid. Theodorus Rinck Philosophiæ doctor. Lips. 1791 8. pagg. 171.

Absolvitur liber sectionibus XV. non quidem indistincte sed promiscue tamen positus. Editori cum visum haud fuerit, vel levissimæ operæ quidpiam conferre, quod juvare lectorem posset; placet, ut factum est in Allgem. Literatur Zeitung, 1793. Num. 233. singula capita referre ad versionem Reiskii. I. Persia, Tab. 10. II. de mari ambiente seu Oceano. ex Prolegomenis, pag. 140. III. Kerman, Tab. 11. IV. de mari Bördil, ex Prolegomenis, pag. 151. V. Insulæ maris mediterranei et occidentalis. Tab. 5. VI. Fretum Barbaricum, ex Prolegom. p. 144. VII. Fluvius Sihan, ex Pro-

C

legom. p. 168. VIII. Dailom. et Gil. Tab. 20. IX. de Oceano, ex Proleg. pag. 145. X. Zablestan et Gur. Tab. 23. XI. Tabarestan, Mazanderan, Kumas. Tab. 21. XII. Tocharistan et Badzachschan. Tab. 24. XIII. Hispania. Tab. 4. Accesserunt XIV. excerpta ex thesauro geographico, Moschtharek, et XV. excerpta geographica ex Historia Arabum in Hispania et Africa, cujus auctor est Mohioddin Abu Muhammed Abdoluahed Ben Ali Temimæi, Maroccanus, anno Heg. 581 natus.

Mesopotamiam, Tabulam Abulfedæ VII. arabice ex apographo Seebischii, quod est in bibliotheca Dresdensi, editit Rosenmüllerus, in Neuen Repertorium, Vol. III. Jenæ 1791. pag. IV — XXXVIII. Spem ipse fecit, se et Tabulam VIII. de Irako editurum arabice, atque indicem in Abulfedæ Geographiam confecturum esse, qualis Alb. Schultensii index geographicus, editus cum Vita Saladini. Atque hæc quidem de Abulfeda.

كتاب عجائب المتصور في اخبار تيمور
تأليف احمد بن عربشاه

Ahmedis Arabsiadæ vitæ et rerum gestarum Timuri, qui vulgo Tamerlanes dicitur, Historia. Lugd. Bat. ex typographia Elseviriana. 1636. 4. pagg. 448.

In edendo hoc libro eorum, qui uti illo velint, minus quam suo ipsius commodo consultum videri possit Golius. Etenim ad sermonem arabicum, ne sectionum quidem numeris distinctum, qui, si quis alius, multiplicis generis auxilia requireret, nihil accessit præter præfationem latinam ad linguæ arabicæ studiosos, et ipsa neutiquam talis, qua-

lis a Golio poterat expectari: etenim neque de codice, quem secutus sit, neque de auctore, quis fuerit, ubinam et quo tempore vixerit, quo vitæ genere usus sit, quibusnam aliis scriptis inclauerit, quidquam commemorat. Fuit autem Islamiticæ legis doctor haud incelebris, natus Damasci, ubi etiam mortuus est a. Heg. 854. Chr. 1450. vid. D'Herbelot Bibliothéque orientale, pag. 121. — Historiam Timuri perfecit anno 841. teste Urio in Catalog. codd. Bodleian. pag. 163. num. DCCXXXII. Codice autem usus est editor, scripto a. Heg. 945. quod cognovimus ex Catalogo librorum Io. Jac. Schultensii, Lugd. B. 1780. 8. ubi pag. 602. inter codd. mstes in 4 commemoratur: "3833. Arab-schiadis vita Timuri arabice. Codex scriptus A. H. 945. quo Golius in edendo hoc libro usus est, et cui multa in margine adscripsit." Spem quidem fecit Golius, suppeditaturum se esse altero volumine, quæ ad iuvandam lectionem pertineant. Ita enim ille: Operam itaque dedi, ut Scriptorem hunc integrum, et qualem offendi, factaque gemini codicis M. S. collatione emendatum publicarem: separato volumini destinatis, quæ ad interpretationem ejus pertinent, et necessarias notas. Neque enim dubitem, tali ipsum loco habere, ut existimem ad Arabici studii metam pervenisse et palmam ferre, qui unam hoc ejus studium rite confecerit. Ut vero ad eam rem facilis et inoffensa pateret via, propositum mihi fuerat junctim dare volumen utrumque: sed cum Arabico ad umbilicum perducto, ejus in antecessum editionem Typographi urgerent: nolui eorum commoda, aut forte etiam vestra, remorari." — At defuit eventus omnis, etsi post 30 annorum moram demum e vita discesserit Golius, septuagenarius, prospera nunquam non usus valetudine. Gronovio tamen teste in laudatione funebri, in ejus exsequiis recitata a. d. IV. Nov. 1667. "Historiam Timuri arabicam iterum, vocalibus ex-

pressis notisque necessariis additis, unacum versione latina et commentariis, qui totius orientis res illustrarent, proelo propemodum paratam reliquit." pag. 20. Apparatus iste quamnam posthac sortem expertus sit, haud multis constat. Latinam quidem versionem servari in bibliotheca publica Bremense, affirmavit olim (a. 1769.) Hagæ Comitum Nicol. Barkey; et potest huc respexisse Conr. Ikenius, cum Reiskio scriberet, Bremæ 1749 hæc: "Si Tibi adhuc animo sedeat, quod quondam mihi per litteras significasti, Timuri historiam edere, haberem non pauca, quibus forte adparatum Tuum quodammodo augere possem." vid. Reiskens von ihm selbst aufgesetzte Lebensbeschreibung, pag. 591. Exemplum autem editi Timuri, refertum castigatibus notisque adscriptis manu Jac. Golii, qui absolutam ab se hanc operam fuisse 24 Jun. 1659 significavit, delitescit in bibliotheca Bodleiana, cum aliis Golianis permultis, quæ sunt ex publica venditione, habita mense Octobr. 1697. Lugduni Bat. postquam ante 28 annos oblatum a Cantabrigiensibus pro integra bibliotheca pretium ingens recusassent hæredes Golii, ab Ed. Bernhardo illata in Angliam. vid. Vita Ed. Bernhardi, scriptore Th. Smith. Lond. 1704. §. pag. 49. — Verum Notæ istæ non sunt consummatæ et perfectæ. De versione alii viderint.

Ahmedis Arabsiadæ vitæ et rerum gestarum Timuri, qui vulgo Tamerlanes dicitur. Historia. latine vertit, et adnotationes adjecit Samuel Henr. Manger. Tomus I. Leovardix 1767. Tomus II. ib. 1772. 4. (T. I. absolvitur pagg. 645. T. II. 1016, accessit pag. 960 quæ antea non edita erat, خانمة, sive oratio finalis.)

In adornanda hac editione usus est Mangerus, frustra Golianam versionem consecutus, potissimum aliqua lectio-

num notarumque criticarum materia, quæ primum ab A. Schultensio ad marginem libri sui adscripta, deinde ad complures Schultensii discipulos propagata fuit. Etenim Reiskius ante iter Hollandicum, Dresdæ ex Seebischii exemplo, quas ipse Parisiis ex codicibus duobus, Colbertino et Piquesiano, lectiones adnotaverat, in suum exemplum transtulit, librumque secum Leidam apportavit. vid. *Lebensbeschreibung*, pag. 134. Schultensius autem in suo exemplo adscriptas habebat lectiones msti Leidensis. Itaque ex libro Reiskiano descripsit quoque Parisienses lectiones: vicissim Reiskius ex Schultensiano Leidenses in suum derivavit. Hoc ipso cum olim 1768. 69. usus sim in legendo, duce optimo Reiskio, Mangeri volumine primo; cognitum est, in nova editione lectiones non commemorari accuratissime. Nova etiam versio haud multum probata Reiskio. Annotationes denique, neque copiosæ, neque permultæ lectionis, haud multum faciunt ad illustrandum scriptorem præprimis difficilem.

Dicendi enim genere usus est vario, luxurioso, tumido, contorto; id unice agens, ut ingenii copiam, lectionis varietatem, et linguæ arabicæ abundantiam legentibus comprobaret. Habemus Levini Warneri Epistolam valedictoriam (ad studiosos quosdam juvenes), in qua inter alia de stylo Historiæ Timuri. Lugd. B. 1644. 4. pagg. 12. Verum siquis sit, qui Arabschiadæ ingenium dicendique genus noscere cupiat, Hottingerum adeat, qui *Histor. Ecclesiasticæ Novi Test. Part. IV. (Tiguri 1657. 8.)* pag. 609 sq. non modo lectissimos orationis flores, eosque permultos excerpserit, sed et totius operis quandam veluti epitomen exhibuit.

Mirum in modum Timuri Historiam celebravit Guil. Jones, *poëseos Asiaticæ commentar.* pag. 238. Lipsiensis edit. 1777. "Equidem, inquit, inter poemata heroica Timuri hi-

storiam, quam composuit scriptor admirabilis Ebn Arabshah, non vereor recensere: ita pulchris abundat imaginibus, ita jucundis narrationibus et descriptionibus naturæ, morum, affectuum; ita magnificis illuminatur figuris, tam dulci numerorum varietate, tanta elegantiarum copia conspergitur, ut nihil cogitari possit accommodatius ad lectorem vel delectandum, vel docendum, vel etiam permovendum. — Omnia non frigide, non sicce denarrat, sed librum conspergit jucundissima rerum varietate, descriptionum copia, et suavissimis poeseos Asiaticæ luminibus. Multas perro intexit narrationes, quas Græci *Ἐπεισόδια* vocant, easque Musa HomERICA non indignas. —

Turcice librum vertit Nazemi Zadeh, jubente Præfecto (Paschah) Bagdadense. Sed cum versio oblata Præfecto haud quaquam probaretur, ob dicendi genus elatum tumidumque, jubente illo aliam stylo remisso et plano confecit idem Nazemi Zadeh, quæ deinceps formulis exscripta prodiit Constantinopoli in 4. anno 1142. Chr. 1729. vid. de fatis linguarum orientalium commentatio (auctore Jenischio) pag. LXXVII. Letteratura turchesca dell' Abate Giambatista Toderini. Tom. III. pag. 75 sq. vel Hausleutners teutsche Uebersetzung, P. II. pag. 209.

Gallicam libri versionem edidit Petrus Vattier, Histoire du Grand Tamerlan traduite de l'Arabe d'Achamed fils de Guerapse — Paris. 1658. 4. quæ proximo anno iterum typis descripta est, non nisi hoc discrimine, quod quæ a prima editione abest pars operis arabici, a pag. 316 — 397 textus Goliiani, in nova haud desideratur. "Les scavans dans la langue Arabique trouvent beaucoup de fautes dans cette traduction" verba sunt D'Herbeloti, Biblioth. Or. pag. 72. Putem quoque Anglicam extare, The life of Tamerlane the great emperor of the Tartars written in arabic by the historian Ahmed Arabsiadah.

GREGORIUS ABULPHARAGIUS, كريغوريوس أبو الفرج
 بن اهرن, Bar - Hebræi nomine nunc fere celebrator,
 natus est Melitinæ, quæ arabice ملطية Malatia dicitur,
 ann. Chr. 1226. patre christiano, Aarone, medico. A pue-
 ro in litteris græcis, syriacis, arabicis bene versatus, phi-
 losophiæ ac theologiæ operam dedit, et medicinam duce
 patre alisque ipse coluit, permagnam nominis famam adeptus.
 Anno ætatis vigesimo episcopus Gubæ ordinatus, pro-
 ximo anno ad ecclesiam Lacabenam, brevi hinc ad Hale-
 bensem translatus, annos natus quadraginta ad Maphriani,
 h. e. Primatis Orientis dignitatem euectus est, quam te-
 nuit ad annum usque 1286. quo obiit Maragæ, quæ est
 urbs haud incelebris provinciæ Aderbiganæ, ibique sepul-
 tus est perquam honorifice. Conscripsit Abulpharagius præ-
 ter alia multa syriaco sermone opus historicum in 3 partes
 divisum. Prima universam historiam complectitur inde ab
 orbe condito ad ævum usque auctoris; secunda recenset Pa-
 triarchas Antiochiæ et Jacobitarum: tertia Primates, Pa-
 triarchas et Maphrianos Orientis. Universum opus ab se-
 jam "Latinitate cum Notis donatum esse", ut in rei publi-
 cæ litterariæ gratiam edatur, professus est Steph. Evodius
 Assemanus, in Bibliothecæ Medicæ codd. mss. oriental. ca-
 talogo. Florentiæ 1742. fol. pag. 197. Alteram tertiam-
 que partem cognitam habemus ex Jos. Simon. Assemani
 Bibliothecæ Orient. Tom. II. (Rom. 1721. fol.) pag. 321 sq.
 prima vero edita est integra syriace cum versione latîna:
 Barhebræi Chronicon syriacum e codicibus Bodleianis de-
 scriptum conjunctim ediderunt Paul. Jac. Bruns et Georg.
 Guil. Kirsch. Lips. 1789. 4. At Arabice traditum pridem
 innotuit Chronicon illud, quod universam historiam refert.
 Etenim Abulpharagius, cum proximo ante obitum tempo-
 re pervenisset Maragam, rogatus est a quibusdam, velit
 opus syriace compositum in Saracenicam linguam trans-

ferre, ut ipsis quoque eo uti ac voluptatem inde percipere liceret. Annuit ille, cœpitque historiam vertere stylo eleganti per mensem circiter, donec prope ad finem opus perductum fuit, ut non superessent nisi tria forte folia, antequam febris corripereetur, qua extinctus est. Atque hoc arabicum opus dignum visum est Edwardo Pocockio, cui tractando edendoque operam suam impenderet.

Specimen Historiæ Arabum, sive Gregorii Abul Farajii Malatiensis, de origine et moribus Arabum succincta narratio, in linguam latinam conversa, notisque e probatissimis apud ipsos authoribus, fusius illustrata. Opera et studio Edvardi Pocockii linguarum hebr. et arab. in academia Oxoniensi professoris. Oxoniæ excudebat H. Hall. 1650. 4. pagg. 390.

In præfatione de auctore refert Pocockius accurate quidem et laudabiliter, lapsus tamen in unica formula *المغريان المويدي*, quam reddit: Doctor divina ope suffultus, haud memor, dignitatis ecclesiasticæ nomen esse inter Jacobitas Syros post Patriarchalem præcipuæ. Sed plura postmodum et certiora de eo dedit cum Euseb. Renaudot, in Liturgiæ oriental. Collectione (Paris. 1716. 4.) Tom. II. pag. 469. tum maxime Io. Sim. Assemanus, Biblioth. Orient. Tom. II. Vid. quoque Assemanns oriental. Bibliothek in einen Auszug gebracht von A. F. Pfeiffer, Erlang. 1776. 8. pag. 252. Libri Pocockiani præstantia maxime posita est in Notis seu commentario, ubi mirifica cernitur rerum copia et varietas, ex centenis auctoribus orientalibus selectarum prudenter absque omni ostentatione, a qua longissime aberat Pocockius. Reiskio iudice, sane perito, Prodidagmat. pag. 228. est liber incomparabilis, plenus litteraturæ arabicæ

arabicæ et bonæ frugis. Singularem quoque, ubi prodiisset, in laudem cessit non editori tantum sed et Oxoniensi academiæ, dignus omnino fructus ex arabica, quæ demum brevi antea ibi instaurata esset, typographia, teste Twells, in Pocock's Life, prefixed to his Theological Works. 2 Voll. Lond. 1740. fol. pag. 44. med. qui pag. 33 perhibet librum publici juris factum esse exeunte anno 1649. Extant tamen exempla, quæ annum 1648 referunt. vid. Hyde Catalogus Biblioth. Bodleian. Tom. II. pag. 65. Freitag analecta litteraria de libris rarioribus, p. 692. Novæ editionis, ejusque perelegantis, Oxonii initium factum est curante celeb. Jos. White.

تاريخ مختصر الدول Historia compendiosa Dynastiarum, auctore Gregorio Abul-Pharajio, Malatiensi medico, historiam complectens universalem, a mundo condito, usque ad tempora authoris, res Orientalium accuratissime describens. arabice edita, et latine versa ab Ed. Pocockio. Oxoniæ 1663. 4. text. arab. pagg. 565. vers. lat. pagg. 368. Subsistit narratio anno Heg. 683. qui cœpit Mart. 20. 1284. æræ vulgaris. Sed addidit Pocockius Supplementum Historiæ rerum a Gregorii exitu usque ad sua tempora, latine tantum, pagg. 66.

Qui in arabico opere nominantur auctores, enumerat Assemanus, Biblioth. Orient. Tom. II. pag. 310 sq. Observavit Casiri, Biblioth. Escorial. Tom. II. pag. 332. ex anonymi cujusdam, qui floruerit ann. Heg. 595. Historia litteraria Sapientum, ex qua Tom. I. ampla loca sunt excerpta, permulta depromsisse auctorem Historiæ Dynast. Et confirmavit hoc Russelius, exemplum codicis Halebi nactus. Nachricht von dem Zustand der Gelehrsamkeit — zu Aleppo.

D

Goetting. 1798. 3. pag. 1. Quæ autem ratio sit syriacum inter et, quod ex hoc derivatum est, arabicum opus, intelligas ex relatione, quæ extat in Goetting. Anzeigen 1789. pag. 1738. Cæterum opus hoc Pocockianum cum prodiret, eo, quo dignum erat, plausu comprobatum fuisse negat Twells, loc. cit. pag. 60.

Des Gregorius Abulfaradsch kurze Geschichte der Dynastien oder Auszug der allgemeinen Weltgeschichte besonders der Chalifen und Mogolen. Aus dem Arabischen übersetzt mit erläuternden und berichtigenden Anmerkungen von M. Georg Lorenz Bauer. Erster Band. Leipzig 1783. Zweyter Band. 1785. 8. Commendatus est hic liber in Nürnberg. gelehrten Zeitung, 1783. pag. 387. et 1785. pag. 622. Sed videtur iniquiorem, quam par erat, successum habuisse. Animadversiones, non nimis frequentes, historici potissimum argumenti sunt, et versionem ipsam passim reddunt emendatiorem.

EUTYCHIUS, f. SAID IBN BATRIK, سعيد ابن بطريق
Fostati in Aegypto natus est anno Heg. 263. Chr. 876. Patriarcha Melchitarum Alexandrinus factus a. Heg. 321. Chr. 933. obiit Alexandriæ a. Heg. 328. Chr. 940. vid. D'Herbelot in Biblioth. Orient. pag. 736. et Euseb. Renaudot in Historia Patriarcharum Alexandr. Jacobitarum pag. 346 sq. Confecit Euty chius præter alios libros, etiam de rebus medicis, Syntagma Historiæ, seu annales inde ab orbe condito ad suam usque ætatem. D'Herbelot, dicto loco, hæc refert: "Seldenus, et Pocokius nous ont donné cette Histoire avec une Version Latine, sous le titre des Annales d'Euty chius." Atque etiam Catalogus impressorum librorum Bibliothecæ Bodleianæ Tom. I. pag. 238. voce: Euty-

chius, sic habet: Annales, Arabice et Latine per Jo. Seldenum et Edw. Pocockium. Oxon. 1656. Verum Seldenus nonnisi partem aliquam seorsim edidit. Universi operis editio operæ ac studio debetur unius Pocockii. Etenim Seldenus, qui minus faveret Episcoporum ordini, cum incidisset in locum Eutychie, quo refert, Marcum Evangelistam Alexandriæ primo Patriarchæ adjunxisse collegium duodecim presbyterorum, qui, si vacaverit Patriarchæ locus, ex ipsorum numero unum eligerent et Patriarcham eum constituerent — tantum tribuit scriptoris sui arabici auctoritati, ut caput illud singulari libro ederet arabice et latine, addito commentario perquam copioso. Idem postmodum Pocockio, apud quem gratia multum valebat, suasor fuit et impulsor, ut integrum Eutychie opus non latine tantum sed et arabice in lucem ederet, suismet sumptibus excudendum, et suis quoque observationibus passim, uti res ferret, illustrandum. Et sumtus quidem liberaliter ille præstitit, sed annotationum, operi addendarum, haud quidquam conferre potuit, e vita sublatus inclinante anno 1654. cum excudendi libri factum esset initium.

Eutychie Aegyptii, Patriarchæ Orthodoxorum Alexandrini, scriptoris, ut in Oriente admodum vetusti ac illustris, ita in occidente tum paucissimis visi tum perraro auditi, Ecclesiæ suæ Origines. Ex ejusdem Arabico nunc primum typis edidit ac versione et commentario auxit Joannes Seldenus. Londini 1642. 4. pagg. XXXVIII et 184.

*) *يظم الجواهر* Contextio gemmarum, sive, Eutychie Patriarchæ Alexandrini Annales. Illustriss: Johanne Sel-

*) sic expressum est, mendose, loco *نظم*. In fronte alterius Tomi expressum est: Eutychie Patriarchiæ.

deno τὸ μανασίτῃ, chorago. Interprete Edwardo Pocockio linguarum hebraicæ et arabicæ in academia Oxoniensi professore publico. Oxonii. 1658. Tomus alter. ib. 1659. 4. Tom. I. pagg. 552. Tom. II. pagg. 533. Accesserunt indices copiosi; et Chronologiæ Eutyichianæ Parapegmata, sive epocharum, quæ ab Auctore subinde memorantur, insigniorum intervalla; et alia.

De fide Eutyichii historica sic statuit Renaudot, *Histor. Patriarcharum Alexandr.* p. 348. "Habet sane Eutyichius unde commendetur inter Orientales, apud quos historia generalis nulla extat, quæ cum illius opere possit comparari. Unde non solum Christiani, sed Makrizius et alii Muhamedani eam sequuntur, atque is ultimus eam ab utilitate sua laudandam existimavit, eamque descripsisse perpetuo apprehenditur." — Johannes Hesronita, e monte Libano Maronita, Eutyichii Historiam jam olim in se suscepit edendam, quod constat ex ipsius epistola ad Urbanum VIII. Pontificem Romanum, Bellarmini Catechismo arabice reddito præfixa, qua "accipe igitur, inquit, hunc qua soles benignitate libellum, dum interea historiam de mundi seculis *Felicitis Alexandrini* patriarchæ, arabico sed pereleganti stylo conscriptam, paro." — Multa passim ex Eutyichio, necdum edito, retulit in Historia sua orientali Hottingerus, cui Patrioides ille dicitur.

Vita et res gestæ Sultani, Almalichi Alnasiri, Saladin, Abi Modafferi Josephi f. Jobi. f. Sjadsi. auctore Bohadino f. Sjeddadi. Nec non excerpta ex Historia universali Abulfedæ, easdem res gestas, reliquamque historiam temporis, compendiose exhibentia. Itemque specimen ex historia majore Saladin, grandiore cothurno conscripta ab Ama-

doddino Ispahanensi. Ex mss. arabicis Academiae Lugduno-Batavae edidit ac latine vertit Albertus Schultens. Accedit index commentariusque geographicus ex mss. ejusdem bibliothecae contextus. Lugduni Bat. 1755. fol. (sed renovata est haec inscriptio; opus enim prodit anno 1732.)

Bohaddin, cujus integrum librum capiunt paginae 278. Kadi seu Judex fuit, et quidem Damasci, quod ex cod. Bodleiano DCCLXXXVIII refert Uri, Catalog. pag. 173. Anno 584. qui coepit 2 Mart. 1188 Chr. a Saladino in ministerium et comitatum receptus, quae abhinc ab eo gesta sunt ipso praesente et vidente, enarravit (inde a pag. 79.) diligenter usque ad obitum Sultani, defuncti ann. 589. sed quae prius acta essent, breviter tantum et summatim perstrinxit; usus dicendi genere facili et perspicuo, quale cernitur in Abulfeda.

Ex Abulfeda quae sunt excerpta; (pagg. 64.) incipiunt anno 556. (Chr. 1161.) Adlerianae editionis Tom. III. pag. 579. desinuntque anno 589. Adler. edit. Tom. IV. pag. 143. Lectio arabica non utrimque prorsus eadem, quamquam ab utroque, Schultensio Reiskioque, ex eodem codice Leidense derivata.

Ex Amadoddini Ispahanensis opere primi tantum capituli specimen editum, subjecto commentario grammatico perquam copioso, pagg. 26. Integrum opus, quod Saladini res gestas inde ab anno 583 complectitur, extat in bibliotheca Leidense, et quidem punctis vocalibus instructum, grandibusque litteris nitide descriptum. Extant quoque in bibliotheca Bodleiana duo ejusdem exempla, Num. DCCLXXV. pag. 171. et Num. DCCCXXIV. pag. 179. Auctor, Ispahano oriundus, qui, Saladini scriba, ipse rebus interfuit, et quicquid quotidie actum esset, in commentarios retulit, mortuus est anno 597. teste D'Herbelot,

voce Emad, pag. 313. Scribendi genere usus est immani; ut Schultensius ipse asseveret, longissimo eum intervallo infra se relinquere, quicquid unquam sublime tumidumve a se lectum aut inspectum, atque ipsum adeo Arabsiadem ejus tantum vestigia procul adorare.

Qui postremo loco accedit, Index geographicus ex Abulfeda et compendio Thesauri geographici Jacuti Hamatensis maximam partem concinnatus et instructus, integrum alphabetum explens, decus est ac ornamentum voluminis, multo suo fructu perquam commendabile.

Cæterum memorabile est hoc. Schultensius extremo præfationis loco innuit, Bohadini quo usus sit exemplum videri sibi ipsum Autographum. Reiskius, in Adnotat. Histor. Abulfedæ Tom. III. pag. 764. nota (450) haud dubitanter adfirmat: Ex Saladini bibliotheca aliquas reliquias in bibliotheca Leidense ipse vidi olim et tractavi, ut indicabant elegantissimæ inscriptiones.

Abdollariphi compendium memorabilium Aegypti, arabice. e codice mso Bodleiano edidit D. Joseph White, præbendarius Glocestriensis, arab. ling. prof. Laudianus — præfatus est Henr. Eberh. Gottl. Paulus, lingg. orient. in acad. Jenens. prof. Tubingæ 1789. 8. pagg. 157.

Arabicus hic contextus jamjam anno 1782 typis exscriptus fuit Oxonii, vulgandus, quum latina versio ejusdem formæ parata fuerit, ut uno volumine utrumque comprehenderetur. Postmodum mutato consilio constituit Whittius aliam eamque spectabilem suæque gentis ingenio accommodatam parare. Omnia igitur prioris illius exempla, sibi tradita, secum in patriam advexit Paulus, additaque præfatione sua publici usus fecit. Whittius autem in for-

ma majore et textum arabicum et latinam versionem alter-
nis paginis excudi curavit, additurus ad juvandam lectio-
nem arabicam commentarium maximam partem grammati-
cum, plurimorum autem usui vernaculam versionem amplio-
ribus ornamentis instructam paraturus. Et typis quoque
descripta fuit nova editio in 4. pagg. 283. descriptæ etiam
sunt Annotationum plagulæ nonnullæ. At manus ultima
cœpto defuit —

Singularis autem et pene mirifica sors est, quæ Ab-
dollatiphum in Anglia reprimit quasi nec sinit in lucem
et celebritatem hominum eluctari. Scriptorem hunc ex per-
multis aliis selegit Ed. Pocockius, quem ex codice suo,
secum ex Oriente advecto, arabice et latine ederet filius,
Edwardus. Initium quoque libri typis excudendi factum,
sed mortuo patre 1691. cœpto prorsus destitit editor, ægre
ferens successionem in parentis locum academicum sibi ne-
gatam. Excusis tamen chartis deinceps titulus præfixus,
et exemplorum copia haud ingens vulgata, quorum nunc
magna est infrequentia: subsistit autem Pocockianus liber
pag 56. editionis novæ minoris, majoris pag. 93. Interje-
cto paucorum annorum spatio Thomas Hyde, Pocockii in
utraque cathedra successor haud indignus, capto edendi
Abdollatiphi consilio, novam ipse versionem latinam con-
fecit, commentarium adornavit, tabulas etiam æri inciden-
das curavit, sed irritò successu, nec vestigium quidem
ullum superest operæ ab Hydio paratæ. Anno hujus sæcu-
li 46 Thomas Hunt, factus arabicæ linguæ professor Oxo-
niensis, vernaculo sermone programma edidit 8 pagg. in
4. quo suum consilium de edendo Abdollatipho exposuit,
suxæque editionis formam adumbravit. Nactus Pocockii apo-
graphum et latinam versionem integram omnemque anno-
tationum farraginem constituit non modo textum, eumque
signis orthographicis instructum, et versionem emendatio-

rem reddere, sed et commentarium subjungere ad illustrandas res Aegyptiacas ex scriptis Abulfedæ, Makrizi, Kalkaschendi, Jelaloddin Assoyûti, aliorumque ineditis, præterea auctoris vitam, ex Osaiba derivatam, operi præfigere. Verum et hoc consilium nescio qua de causa successu omni caruit. At Programma Huntii brevem de Abdollatipho narrationem exhibet. Natus est Bagdâdi anno Heg. 557. Chr. 1161. patre Josepho, viro haud indocto. Absolutis in urbe patria liberalium artium studiis, et medica etiam arte probe tractata, litterarum causa ad exteros peregrinationem instituit ann. 585. Mosúlæ annum exegit habendis prælectionibus, Damasci libros aliquot edidit, hinc profectus Hierosolymam. Mox Saladini castra ad Accam posita petiit, litteras a Sultano rogaturus, quibus uti posset in Aegypto, quo clarissimorum virorum, etiam Mosis Maimonidis, fama ipsum traheret. Humanissime acceptus, maxime a Bohadino, tunc iudice castrense (Kadi'l esker), amicum nactus est primarium aliquem virum, Al Fadl, cujus cura litterisque effectum est, ut perquam liberaliter exciperetur in Aegypto habereturque honorificentissime. Cum Saladinus, factis induciis, Hierosolymam se recepisset, rediit ex Aegypto Abdollatiph, ut Sultanum salutaret, et stipendio regali donatus Damascum concessit, ibique litterarum, maxime medicarum, studiis vacavit. Mortuo Saladino Damasci a. 589. illius filios sectatus iterum sedem habuit in Aegypto. At rerum conversione facta rediit primo Hierosolymam, deinde ann. 604. Damascum, maximam nunc etiam ex arte medendi celebritatem nominis adeptus. Posthac iterum peregrinatione facta per varias provincias cum tandem constituisset, Damascum reverti, facto prius itinere sacro Meccano, et revisa ante patria, Bagdadum modo ingressus, morbo correptus est, quo decessit a. 629. In Aegypto igitur dum versaretur Abdollatiph, id maxime egit,

egit, ut quæcunque de rebus Aegyptiacis vel ipse oculis cerneret, vel ab aliis relata legeret audiretque, studiose conscriberet: unde ortum est opus amplum, distributum in sectiones XIII. Ex hac copiosiore materia depromsit sectiones duas illas, quæ non comprehenderent nisi sibi ipsi observata ac usu comperta, easque redegit in formam libri singularis, qui nomine venit Minoris, seu compendii. Absolvitur duplici tractatu. Alter sex capitum est: 1. de proprietatibus Aegypti generalibus. 2. de plantis, quæ ipsi propriæ sunt. 3. de animalibus, quæ ipsi propria sunt. 4. de monumentis antiquis, quæ in ea cernuntur. 5. de miris ædificiis navibusque, quæ ibi cernuntur. 6. de miris ciborum generibus. Tractatus alter trium capitum est: 1. de Nilo, de modo incrementi ejus et causis ejus canonibusque assignandis. 2. de iis, quæ contigerunt anno quingentesimo nonagesimo septimo. 3. de iis, quæ acciderunt anno 598.

Codex a Pocockio in Angliam illatus nunc est bibliothecæ Bodleianæ, in Catalogo, pag. 174. Num. DCCXIV dictus *autographus*, ann. Heg. 600. Chr. 1203. Cahiræ exaratus. Præter hunc unum adhuc non est alius cognitus. Sed ampliori illo opere sectionum XIII Bochartus subinde usus est in Hierozoico.

Abdallatifs eines arabischen Arztes Denkwürdigkeiten Egyptens in Hinsicht auf Naturreich und physische Beschaffenheit des Landes und seiner Einwohner, Alterthumskunde, Baukunde und Oekonomie etc. aus dem Arabischen übersezt und erläutert von S. F. G. Wahl, Prof. zu Halle. Halle 1790. 8. — Festinantius facta est hæc versio. vid. Goetting. Anzeigen auf 1790. pag. 1347.

Macrisi Historia regum Islamiticorum in Abyssinia. interpretatus est et unacum Abulfedæ descriptione regionum

E

Nigritarum e codd. biblioth. Leidensis arabice edidit Frid. Theodorus Rinck philosophiæ doctor. Lugduni Bat. 1790. 4. pagg. 33. 41. 15.

In edenda hac Historia duos bibliothecæ Leidensis codices adhibuit Rinckius, utrumque minus distincte scriptum; alterum ipse designat Num. 560. alterum Num. 1152. Duos alios, forte his præstantiores, ignorasse videtur, commemoratos tamen pag. 491. num. 1989 et 1990 in Catalogo bibliothecæ publicæ universitatis Lugduno Batavæ, edito 1716. fol. in quo duorum illorum alter numerum habet 1765. alter 1766. Latinam interpretationem non esse admodum commendabilem, cognoscitur ex relatione in Allgem. Litterat. Zeitung 1790. Num. 375. De auctore Makrizio ejusque scriptis exposuit Kœhler, in Eichhorn's Repertorium, P. I. (1777.) pag. 74 sqq.

Al - Makrizi historia monetæ arabicæ e codice Escorialensi cum variis duorum codd. Leidensium lectionibus et excerptis anecdotis nunc primum edita, versa et illustrata ab Olao Gerhardo Tychsen. Rostochii 1797. 8.

Arabicus Al - Makrizi textus (pag. 1—54) editus est ex apographo tantum codicis Escorialensis, eoque cum binis Leidensibus libris mstis collato. Accedunt (pag. 55—66) excerpta ex ejusdem auctoris tractatu de ponderibus et mensuris, ex apographo Rinckii, et (pag. 66. 67.) breve excerptum ex codice Escorialense MDCCVI. Casiri Tom. II. pag. 159.

Ut primum liber in lucem prodiit, novam ex arabico versionem gallico sermone confecit Silvestre de Sacy, eamque notis illustratam exhibuit in Magazin Encyclopedique,

num. 24 anni secundi et num. 1. anni tertii, quod latinam interpretationem deprehendisse sibi visus esset minus accuratam, et passim a véro sensu alienam. Neque omnino negari potest, virum in tractandis scriptoribus arabicis multo usu exercitatum haud infrequenter et textum ipsum et sensum ejus reddidisse emendatiorem, quamquam alio codice uti, quod dolendum, ipsi haud licuit, cum bibliotheca Parisina opusculo hoc non minus careat quam Romana et Oxoniensis. Tychsenii tamen Excerptis duo alia addidit, alterum ex Makrizii Historia Aegypti, alterum ex Historia Aegyptiaca Djelaleddin Assoyouti, illud ineditum, hoc jam ante vulgatum, arabice et latine, ab Adlero, Musei Cusci Borgiani P. II. (Alton. 1795. 4.) pag. XII.

Extant opusculi exempla seorsim excusa, *Traité des monnoies Musulmanes*, traduit de l'arabe de Makrizi, par A. I. Silvestre de Sacy. à Paris. An V de la Republique (1797) 8. pagg. 89. Habet hæc editio tabulam arabice excusam locorum, quæ conjectando emendavit editor. Ad causam hanc etiam pertinet: *Notice de quelques monnoies arabes et des monnoies de Tunis, d'Alger et de Maroc*, pour servir de supplement au *Traité des monnoies Musulmanes de Makrizi*, par A. I. Silvestre de Sacy, in *Magazin Encycloped. Num. 9. Ann. 3.*

Alb. Schultensii *Historia imperii vetustissimi regum Jemanensium, seu Joctanidarum. 4.*

Sic fere inscripturus erat Schultensius, ut ipse scribit pag. 117 *Epistolæ primæ ad Menckenium editæ Lugdun. Bat. 1749. 4. opusculorum hanc suam editionem, tum temporis typis exscriptam usque ad pag. 132. (loc. cit. pag. 121.) qua textum omnem absolutum fuisse intelligitur ex*

E 2

verbis Schultensii his: Jam ante biennium Opuscula hæc in lucem exire debuissent, nimis diu sane et tracta et compressa: sed prodire sine commeatu nolebant, i. e. sine philologicis et criticis observationibus, quæ eis tutum a grassatoribus iter præstarent." — At commentarium hunc cum differret Schultensius, aliis aliisque negotiis susceptis, fato concessit d. 26 Januar. 1750. ætatis suæ a. 64. opusque hoc reliquit imperfectum: neque hoc unum, sed duo etiam alia a se inchoata, Grammaticam Aramæam in 4. quam typis exscriptam habemus usque ad pag. 232. et Lexicon hebraicum in 4. ultra secundam plagulam haud progressum. Quæ omnia, curæ Jo. Luzacii bibliopolæ commissa, manserunt seposita et neglecta, haud quemquam nacta, qui de quopiam perficiendo cogitaret.

Ad Historiam autem regum Joctanidarum adornandam quæ Schultensius typis exscribi curavit, sunt hæc: 1. ex Abulfeda locus de regibus Arabum ante Islamismum. pagg. 15. 2. e libro chronologiæ gentium, conscripto ab Hamza Ibn Elhasan Ispahanensi caput octavum, exhibens seriem chronologicam Homeritarum, regum Arabiæ felicis. pag. 17—45. 3. ex Nuweirio historia regum Arabiæ, et præsertim regum Joctanidarum; accedit historia diluvii Sabæi. pag. 47—99. 4. historia eversi imperii Joctanidarum ex libro Chronici regum eorumque rebus gestis auctore Abu Giafar Mohammed Ibn Jezyd, Taberita. pag. 101—137. 5. historia eversi regni Joctanidarum ex libro inscripto, Præta auri et fodinæ gemmarum, auctore Mesoudio. pag. 139—183. Præter hæc, inedita omnia, arabice et latine alternis paginis descripta, denuo etiam excusa est, volumini huic addenda, pars haud exigua Geographiæ sacræ Sam. Bocharti, Lib. II. cap. XIV—XXX. pagg. 112. facta inscriptione: Colonia Joctanidarum deducta per S. Bochartum.

Hæc, quæ diximus, delitescebant apud Jo. Luzac, bibliopolam, paucis cognita, subinde tamen a peregrinante aliquo requisita, donec visum fuit bibliopolæ cuidam Harderoviano, vendibiles omnino merces expromere et venales proponere, facto indice, quem videas in Jo. Dav. Michaelis Neuen oriental. und exeget. Bibliothek. IV Th. p. 1. Historia imperii vetustissimi Joctanidarum in Arabia felice — — Harderovici Gelrorum. 1786. 4. Præfationis loco præmissum A. Schultensii Consilium de edendis his opusculis, ab ipso indicatum pag. 116—118 epistolæ primæ ad Menckenum, datæ X Sept. 1749. Addita sunt Monumenta vetustiora Arabiæ, a Schultensio edita, quæ prodierant sumtibus Jo. Luzac, Lugduni Bat. 1740.

Zusæze, Varianten und Verbesserungen zu A. Schultensii historia imperii vetustissimi Joctanidarum von M. Frid. Theod. Rinck. nebst der Ankündigung seiner Sommer-Vorlesungen. Königsberg. 1792. 4. pagg. 15.

Monumenta antiquissimæ historiæ Arabum post Albertum Schultensium collegit ediditque cum latina versione et animadversionibus Jo. Gottfr. Eichhorn prof. Jenensis. Gothæ 1775. 8.

Maximam libri partem, post auctoris commentationem de antiquissimis Arabum monumentis historicis, pag. 1—58. efficiunt pag. 59—203. arabica excerpta ex opere probati auctoris, Ibn Kotaibah, de quo Kœhlerus refert, Repertor. I P. pag. 65. sq. inscripto: Liber notitiarum de historiis Arabum eorumque genealogiis, communicata a Reiskio, qui Leidensem codicem pessimæ notæ, ut ipse perhibet Prodi-dagm. pag. 231. in suos usus olim exscripsit. Et prima quidem pars Excerptorum, Genealogiæ Arabum, quæ fere

tota est in nominibus commemorandis, versionem continuam non habet comitem, sed singulis modo locis vel versio subiecta est vel animadversio. In hac parte permulta emendavit in Allgem. deutsch. Bibliothek XXX Vol. I part. (1777.) pag. 145 — 151 Kœhlerus, qui nonnulla ex Reiskii apographo descripta penes se servaret. Qui sequuntur, inde a pag. 150. textus historici, appositam habent interpretationem latinam ab editore confectam. In hac usurpanda caute versandum est tyronibus. Verum et lectio arabica minus emendate edita. Quæ extremum locum occupant pag. 205 — 215. a Reiskio traditæ animadversiones criticæ in Hamza historiam regni Joctanidarum ab Alb. Schultensio editam, nec numero multæ sunt, nec permagni momenti atque ponderis.

Rerum arabicarum quæ ad historiam Siculam spectant ampla collectio, opera et studio Rosarii Gregorio, ecclesiæ Panormitanæ Canonici et regii juris publici Siculi professoris, Ferdinandi III pii felicis augusti auctoritate atque auspiciis edita. Panorm. 1790. fol. pagg. 147.

In specioso volumine insunt hæc: 1. Abu Abd Allah Al Novairi historia Siciliæ arabice et latine cum notis nunc primum podit ex msto codice Parisiensi bibliothecæ regiæ, pag. 1 — 29. 2. Chronicon Siciliæ e msto codice bibliothecæ Cantabrigiensis a Joh. Baptista Caruso arabice et latine antea editum, nunc vero ad fidem textus arabici castigatius recusum, p. 31 — 51. 3. Al Kadi Sheaboddini historia Siciliæ supplementis aucta et innumeris mendis expurgata, quibus ante scatebat in editione Carusii, pag. 53 — 63. 4. Ismaelis Abulfedæ annalium Moslemicorum excerpta, quæ ad historiam Siculam et Africanam spectant sub imperio

Arabum, p. 63—86. (latine tantum ex versione Reiskii.)
 5. Regum Aglabidarum et Fatemidarum, qui Africæ et Siciliae imperarunt, series ex Chronico Ibn Al Khattib arabice et latine cum notis, pag. 87—101. (ex Casiri Catalog. Tom. II.) 6. Parallela historica regum Siciliae sub Arabum imperio. p. 102. 103. 7. Siciliae descriptio ex Geographia Nubiensi desumpta nunc primum arabice et latine castigatior prodit, pag. 105—127. 8. Marmora atque alia id genus monumenta Cufico-Sicula totidem tabulis descripta, in vulgares characteres arabicos inde traducta et latine reddita, pag. 129—191. 9. Doctrina temporum Arabum Siculorum, pag. 193—214. 10. Siciliae Geographia sub Arabibus, pag. 215—230. 11. De viris litteratis apud Arabes Siculos, pag. 231—240.

De libro hoc quid statuendum sit, intelligas ex Allgem. Literatur Zeitung, 1792. Num. 233. Conf. quoque Götting. Anzeigen. 1793. pag. 730 sq.

Documentos arabicos para a historia portugueza copiad-
 dos dos originaes da torre do tombo com permissão de S.
 Magestade, e vertidos em portuguez por ordem da academia
 real das Sciencias de Lisboa por Fr. João de Sousa, corre-
 spondente da numero da mesma Academia, e interprete de
 sua Magestade para a lingua arabica. Lisboa. 1790. 4.

Vid. relationem de hoc libro in Götting. Anzeigen.
 1793. pag. 238 sq.

مؤرخ اللطافة الجمال الدين بن تغري بردي

Maured allatafet Jemaleddini filii Togri - Bardii, seu rerum
 Aegyptiacarum annales, ab anno Christi 971, usque ad an-

num 1453. e codice ms. bibliothecæ academicæ Cantabrigiæ textum arabicum primus edidit, latine vertit, notisque illustravit J. D. Carlyle, A. M. coll. regin. nuper socius. Cantabrigiæ, typis academicis. 1792. 4. Textus arab. pag. 1—132. Versio latina, p. 1—132. Notæ, pag. 1—55.

De auctore, alias ignoto, editor refert his verbis, præfat. pag. III sq. "Nomen habuit Jemaleddin - Abul - Me-hassen, et patrem Emirum Togri - Bardium, provinciæ Halebiensis præfectum. Vitam Kahirettæ ducebat sub patrocinio Sultanorum Circassiorum, apud quos gratia maxime valebat, et a quibus Emiretica dignitate cohonestabatur. Sed licet ordine illustris, animi dotibus longe illustrior; ingenio enim acri fuit, atque omnibus literarum studiis operam dedit indefessam; sed ad historiam scribendam curas ac cogitationes præcipue contulit, unde tantam apud suos laudem adeptus est, ut cognomen ei inditum fuerit *المؤرخ مصر* (rectius *مؤرخ*), *Historiographi Aegypti*. Multos libros conscripsit, inter quos opus eximium, cui titulus est, *النجوم الزهر*, *Stellae splendentes*, longe eminebat, atque omnibus sui temporis in ore erat; hoc enim totam Aegypti historiam a prima Arabum dominatione ad suos usque dies, nempe annum Hejræ 857, amplexus est. — Hujusce magni operis nonnullas quasi Epitomas, diversis titulis insignitas, ipse confecit auctor; e quibus nostra *Maured - Allatafet* (sæpissime citata, sed hactenus inedita) haud parvum nomen adepta est. Non autem liber integer nunc in lucem prodit, priorem ejus partem, quæ res gestas Khalipharum Bagdadensium ab aliis satis expositas complectitur, minime tetigi." Quæ quonam ex fonte hausta sint, non constat. D'Herbelot, in *Biblioth. orient.* p. 567. nonnisi hæc tradit: "Maured allathafat fi man ouali Alsolthanat ou Alkhelafat. Histoire

stoire de ceux qui ont regné en Egypte depuis Mahomet tant Khalifes que Sultans jusqu'au regne de Malek Al Dhaher Giakmak, Sultan de la Dynastie de Mamelus Circassiens. Ce livre a été composé par l'Emir Aboul Mahassen Josef ben Tangri-Virdi, qui prend le titre de Mouvarrah Mesr, c'est à dire, Historiographe d'Egypte."

Immo vero nec codicem, quo usus est, editor designat, præterquam quod minus accurate scriptum eum esse perhibet. Vid. quoque nota 29. pag. 18. Sed Oxonii in bibliotheca Bodleiana extat alius, qui "litera lectu facili scriptus" dicitur, inscriptus *مورن اللطافة في ذكر من ولي الخلافة* h. e. Aquarium amœnum in commentatione eorum qui Chalifatum tenuere. vid. Catalog. pag. 171. Num. DCCLXXVIII.

Quæ nunc edita est historia procedit inde ab Almoëz Ledinallah, Chalifarum Fatimitarum primo, qui imperium capessivit ann. Heg. 361. usque ad Sultanum Malec Al Aschraf, qui inauguratus est anno 857.

Textus arabicus nitide ac eleganter expressus. Latina versio fide magis quam facilitate sese commendat. Notæ varii argumenti modum servant, suntque bonæ frugis plenæ.

Edrisii Geographia.

Auctor, *ابو عبد الله محمد بن محمد عبد الله بن* *أدريس أمير المؤمنين*, natus est, quod ex arabicis scriptoribus compertum sibi perhibet Casiri, Biblioth. P. II. pag. 13. Septæ in Africa, vulgo Ceuta, ann. Heg. 493. Chr. 1099. oriundus ex nobili familia Edrisidarum, qui olim in quibusdam Africæ partibus imperium habuerunt. Cordubæ in Hispania disciplinis operam dedit, religione Moslemus. Ro-

gante Siciliæ rege, Rogerio II. perfecit ann. Heg. 548. Chr. 1153. (ante Abulfedam circiter 173 annis) opus geographicum, quod adhuc ineditum extat in bibliotheca Bodleiana. Breviarium autem illius, neque illud tenue, cuius auctor incertus, typis descriptum est Romæ in typographia Medicea 1592. 4. mere arabicum, ut libros calamo exaratos imitari velle videatur. Inscriptio libri hæc:

كتاب نزهة المشتاق في ذكر الامصار والاقطار
والبلدان والجزر والمدائن والاقاف

(Liber, oblectatio desiderantis in perlustrandis terminis et tractibus et provinciis et insulis et urbibus et plagis mundi.) Sunt vero etiam exempla, quæ titulum præ se ferunt arabico-latinum, expressis etiam verbis: Romæ in typographia Medicea MDXCII. vid. Baumgartens Nachrichten von merkwürdigen Büchern Tom. VI. pag. 23. Stephanus Evodius Assemanus, in Bibliothecæ Mediceæ codd. mst. oriental. catalogo, Florentiæ 1742. fol. pag. 162 refert, tractatum hunc geographicum editum esse anno MDCXVII sub titulo *Geographiæ Nubiensis*. Credibile igitur, non deesse exempla, quæ tali indice sint insignita.

Editionem syriacis litteris factam in monasterio Kesroan in monte Libano commemorat, qui de J. M. Hartmanni commentatione Götting. 1791. 4. retulit in Beylage zur Helmstädt. literar. Zeitung, Decemb. 1791. pag. 184.

Latina versio sic inscripta: Geographia Nubiensis id est accuratissima totius orbis in septem climata divisi descriptio, continens præsertim exactam universæ Asiæ, et Africæ, rerumque in iis hactenus incognitarum explicationem. Recens ex Arabico in Latinum versa a Gabriele Sionita Syriacarum et Arabicarum literarum Professore, atque interprete Regio, et Johanne Hesronita, earundem Regio interprete, Maronitis. Parisiis MDCXIX. 4.

Quæ summatim hic relata sunt, diligenter non minus ac fuse et copiose pertractavit Jo. Melchior Hartmann, prof. Marburgensis, in *Edrisii Africa*, Gœttingæ 1796. 8. pag. XLIV sqq. Juvat nunc quædam alia commemorare, quæ spectant ad libri Edrisiani historiam.

I. Perraram esse editionem Romanam, communis diu omnium opinio erat, neque ea omnino vana, cum rarissima adparerent libri exempla. Verum parandi illius facultas innotuit, priusquam Adlerus in *Uebersicht seiner biblisch-kritischen Reise nach Rom*. Altona 1783. pag. 72 significaret, nunc Florentiæ iterum venalia esse exempla. Etenim Björn-stahl in epistola, scripta Florentiæ 1772. nuntiaverat, exemplorum copiam haud multo ante Roma, ubi diu delituisent, illuc advectam esse, atque nunc digeri et ordinari. vid. *Briefe*, Vol. II. 1778. pag. 157. At Romæ etiam obtinuit vulgaris illa opinio. Siquidem Francisc. Xaverius Laire, *Specim. histor. typographiæ Romanæ XV. Sæculi*. Romæ. 1778. 8. hæc habet pag. 13. — “cujus (Geographiæ Nubiensis) raritatem tantopere extollit indicis Casanatensis auctor Tom. III in præfatione. Hic tamen Romæ mihi vidisse contigit *quinque* exemplaria; alia fortasse latent.” Sed quæ ille addit, pene ridicula videri possint. “Incerto editionis loco magis torquetur idem auctor, neque enim nosse videtur officinam Arabicam Medicea antiquiorem, in qua anno 1592. libri hujus editio facta est, quo tempore vix nascebatur officina Medicea Arabica. Huic auctori ignota fuisse videtur officinæ *Fani Fortunæ* ruina” —

II. “Geographiæ Edrisianæ *Italica* versio a *P. Dominico Maeri* anno 1632. in collegio Romano degente, adornata est. Partem hujus Geographiæ ad *Siciliam* pertinentem doctor *Franciscus Tardia Palermitanus*, notis illustratam edidit, hac inscriptione addita: *Descrizione della Sicilia cavata da un libro*

F 2

Arabico di Scherif El Idris. Verba sunt Jenischii in Commentat. de fatis linguarum orientalium. pag. XCIX.

III. Latina versio edita parum probatur intelligentibus. Sed ipse auctor illius primarius haud multum illi tribuit, et sunt omnino, quæ faciunt ad eum excusandum. Est penes nos exemplum libri, a Gabriele Sionita ad Wilhelmum Schickardum Tubingam transmissi, quod etiam textum arabicum refert, ipsius Schikardi calamo ex edito libro alternis chartis exscriptum, atque innumeris locis ab eodem castigatum est. In hujus igitur voluminis fronte descripsit Schickardus partem epistolæ, a Sionita ad se scriptæ. Quæ cum apud nos integra extet, placet eandem ex autographo hic recitare:

Gratiam equidem censeo singularem, non audaciam, (eruditissime mi Schickarte, numeris omnibus ornatissime) quod ad me scripseris. Etsi enim plures mihi adeo obstrepant, ut durum sit aliquando homini occupatissimo, meliorem temporis partem scriptiunculis terere: nunquam tamen literæ fuere graves a Tui similibus scriptæ. Laudo animum, ingenium amo, et ut verbo dicam, affectui tuo brachia pando, et occurro benevolentiae in me Tuæ quam pro beneficio amplector, eique firmandæ mitto ad Te quos petis Articulos Turco-Gallicos, fœderis inter Regem Galliæ et Othomannum initi, unaque Hortulum quem vocas Arabicum Latine factum, Geographia Nubiensis hoc est a viro Nubiensi composita, a me inscriptum. Hanc Tu versionem facile deprehendes a languente et decumbente emissam, inter corporis cruciatus ac diuturni morbi angores. Exploratum enim mihi est adeo elumbem et languidam esse, ut merito vereri possim ne a Te inspecta, existimes a benevolis nostri nominis Te verius fumum quam famam hausisse, ægréque feras Authorem inter medios reponi, quem immerito extollis super eximios, cum phoenicem vocas.

Quandoquidem præter morbum in quem incideram dum typis mandabatur, carebam omni manuscripto, et solum suppetiit Exemplar quod Romæ fuerat excusum usque adeo mendosum, ut ante opus inceptum, decretum mihi fuerit ab ea molestia prorsus abstinere, nisi precibus et auctoritate, qua plurimum apud me pollebant immortalis memoriæ Viri illustriss. Card. Perronius, et Clariss. Præses Thuanus me ad hunc scopulum adegissent, quem si absque famæ naufragio evaserim, viderint æqui alieni laboris aestimatores, et Tu inprimis Vir Doctissime, qui bene subducta ratione, suscepti difficultatem operis animo perpendes antequam mali interpretis nævum mihi impingas. Ne autem singulos errorum anfractus repetam quibus codicem nostrum scatere perspicacissime animadvertis, Urbium locorumque Asiæ et Africæ nomina propria, librorum quorundam Arabicorum ope restitui curavi: Alia vero Europæa, quum essent supra modum corrupta, talia Arabice excusa sunt, qualia in Originali invenimus, eiusmodi spinas cautiore pertractandas relinquentes. Quod si quis absque Manuscripto fideliori effecerit, is mihi Hercules, is mihi Apollo erit; fateor enim ingenue in sincera illorum lectione stabilienda aquam mihi hæsisse, nec ullo studio et conjectura eam assequi potuisse. Cæterum nulli hic sunt libri Turcico-Latini, nec manuscripti neque excusi, alioquin una cum præsentibus ad Te misissem. Historiæ Tuæ Persicæ famam audiui, sed nondum vidi. Illam, ut promittis, a Te expecto, non ut castigem, quod fieri vis, si enim id polliceretur versura mihi solvendum esset; sed ut præstantissimi ingenii Tui partum admirer, accipiamque ceu amoris erga me Tui perpetuum obsidem. Vale Professor sapientissime et Reipubl. nostræ literariæ diu vive Dabam Parisiis 28 Decemb. 1628. Clariss. dignitati Tuæ obsequentissimus Gabriel Sionita.

كتاب محمد بن كثير الفرجاني

Muhammedis fil. Ketiri Ferganensis, qui vulgo Alfraganus dicitur, elementa Astronomica, arabicè et latinè. Cum notis ad res exoticas sive Orientales, quæ in iis occurrunt, opera Jacobi Golii. Amstelodami, 1669. 4.

Textus arabicus absolvitur pagg. 109. totidemque latina versio, ut pagina paginæ respondeat. Notæ pagg. 306 efficiunt. Sed ultra initium paginæ 38 contextus arabici haud progrediuntur, quod auctor morte, neque tamen præcipite illa, interceptus opus post se relinqueret imperfectum. Atque in Notis præcipuum libri, quod permagni æstimatur, pretium positum est. Quæ cum sint historici, maximeque geographici argumenti, haud dubitavimus librum in hunc ordinem referre.

Extat quoque Alfraganus ex versione hebraica Jacobi fil. Antolii, de quo videatur Wolfii Bibliotheca hebraica, num. 1121. latine redditus: Muhamedis Alfragani chronologica et astronomica elementa cum commentario de calendariis, auctore M. Jacobo Christmann. Francof. 1590. 8. Christmanni, de litteris orientalibus præclare meriti, memoriam servavit Adami in Vitis Germanorum Philosophorum. Francof. 1663. 8. pag. 518 sq.

De auctore, cognomen nacto ab urbe patria Fergana in Sogdianis, non habuit Golius quod referret nisi hoc, floruisse eum tempore Al Mamûni Chaliphæ, qui obiit anno Heg. 218. Chr. 833. Nec plura refert D'Herbelot, voce Fargani.

IBN ALWARDI, ابن الوردي, cujus ætatem nondum habemus exploratam, librum composuit cosmographicum, cujus

inscriptio est خريدة العجايب, Unio rerum mirabilium, subinde ab Olao Celsio in Hierobotanico suo laudatum. Retulit de hoc opere, XIV capitibus distincto, De Guignes primum in Journal des Savans, April. 1758. deinceps copiosius in Notices et Extraits des Mss de la bibliotheque du Roi. Tom. II. Paris. 1789. pag. 19—59.

Particulam operis, arab. et latine, illustratam notis, publico examini exposuit Upsaliæ Carolus Aurivillius 1752. (vid. 103 St. der Götting. Zeitungen von gelehrten Sachen, 1752. pag. 1025—28.) quæ repetita est in Car. Aurivillii dissertatt. ad sacras litteras et philolog orientalem pertinent. cum præfatione Jo. Dav. Michaelis. Götting. 1790. 41—73. In Academia Lundensi particulas complures singulas primum ab Hylandro, deinde a Norbergio ad disputandi exercitium editas refert Eichhorn in Biblioth. Vol. II. part. 4. pag. 716. nec non Th. Chr. Tychsen, in Michaelis Neuen oriental. und exeget. Bibliothek, P. VIII. pag. 235.

كتاب البستان في عجائب الارض والبلدان
تأليف العبد الفقير الي الله الغني سلامتش بن كند
عدي الصالحى

h. e. Hortus rerum mirabilium terræ et regionum; auctore Schalâmesch ben Cand Ghadi Alzâlechi.

Hunc librum recenset Simon Assemanus, Catalogo de' codici manoscritti orientali della Biblioteca Naniiana, Part. I. in Padova. 1787. 4. pag. 151. perhibetque, impresssum esse arabice tantum in octavo, pagg. 246. Romæ, opera Roberti Granion, Parisiensis, anno Christi 1584. in fine autem libri extare formulam hanc: "Romæ Ex Typographia Domini Basæ MDLXXXV."

Satis quidem copiose exponit Assemanus, quæ in cosmographico hoc opere, VII tractatibus distincto, tradita sunt; maximam partem, si quæ de Aegypti rebus referuntur exceperis, inepta et fabulosa. Sed editionis historiam parum ille illustravit. Typographiæ Dominici Basæ mentionem iniecit Laire, in specimine histor. typographiæ Romanæ XV. Sæculi, pag. 14. sed non nisi unicum ejus foetum commemorat, librum Precum in usum Maronitarum, sermone arabico, litteris syriacis expressum 1584. 8. nobis haud incognitum. Ad Robertum Granion autem quod attinet, scalpendi ille artem exercebat quam peritissime. Etenim certum est, ab eodem in chalybe exsculptos fuisse characteres illos arabicos elegantissimos, quibus Medicea typographia usa est, teste Angelo Maria Bandini, in Lettera sopra i principi, e progressi della Biblioteca Laurenziana. Firenze. 1773. 16. pag. 77. unde hausit, quæ de insigni hac typographia retulit Adlerus in Biblisch - krit. Reise nach Rom. pag. 72. Latuisse hoc videtur Simonem Assemanum, qui versionem, in exemplo Naniano inter lineas calamo adscriptam, minus illam exactam, et subinde prorsus absonam, haud dubie ab illo Roberto Granion profectam esse pronuntiat, pag. 152. Latuisse eundem quoque videtur hoc, quod postremo loco commemorabimus:

كتاب البستان في عجائب الارض والبلدان
لأبي العباس أحمد بن خليل الصالحى

hoc est: Hortus rerum mirabilium terræ et regionum, auctore Abu'l Abbàs Ahmed, fil. Chalil, dicto Alzalechi, i. e. justus. Codex in 4. arabicis characteribus et sermone impressus Romæ typis Mediceis anno 1585. cura et studio Joannis Bapt. Raymundi, cujus manu exarata videtur italiana

lica ejusdem operis interpretatio interlinearis, quæ ibidem legitur. Extrema formula est, *طبع بمدينة رومية علي يد يوحنا باطشتنا رايموندي سنة الف وخمساية وخمسة وثمانين مسيحية.*

h. e. excusum in urbe Roma opera Joannis Baptistæ Raimundi anno 1585 Christi.

Hæc refert in Bibliothecæ Medicæ codd. mss. oriental. Catalogo, pag. 197. Num. CIX. Stephanus Evodius Assemanus, qui auctorem perhihet claruisse in Syria circa annum Heg. 545. Chr. 1150. sub Moado Mostanser Billah, Cauri et Bagdadi Chalipha.

Ista legentibus non potest non subnasci quidquam justæ dubitationis, sed tollendæ illi parem non habebimus nisi illum, qui suismet oculis usurpare queat dictos libros, parum cognitos, quorum vestigia alia nobis quidem adhuc nuspiam apparuere. De typographia arabica Medicea, ejusque maxime primordiis, multum abest ut nobis ita constet, prout rei dignitas gravitasque videri possit postulare.

* * *

Panormi in Sicilia, post Codicem Siciliæ Diplomaticum, cuius nonnisi Versio Italica edita est, in Germanicam quoque linguam transferri coepta, anno 1793 typis sumtibusque regiis in lucem prodiit, arabice et latine

كتاب ديوان مصر Libro del Consiglio di Egitto tradotto da Giuseppe Vella, Cappellano del sac. ordine Gerosolimitano, Abate di S. Pancrazio, Prof. di lingua Arabe nella reale accademia di Palermo, e socio nazionale della R. Ac. delle Scienze — Tom. I. pagg. 370. formæ maximæ.

G



Refert hic codex, dictus Normannicus, relationes literasque de negotiis rebusque publicis mutuas cum Chaliphæ Aegyptii ejusque administrorum, tum Roberti Rogeriique Normannorum, scriptas ann. Chr. 1074 — 1119. Sed paucis hoc memorasse sufficit, cum perhibeatur res omnis ad figmentum fraudemque meram redire: quamquam qui primarias in ista fabula partes egit, Josephus Vella, aliorum magis artibus, quam suo ipsius ingenio, quod sane non permagnum dici potest, ductus esse videtur. Conf. quæ Eichhorn, Allgemeine Biblioth. Vol. IX. P. I. pag. 143 — 215 refert Acta, præcipue quod inscriptum est, "Relatio data Neapoli Archiepiscopo Aleppino profecto in Siciliam et Panormi appulso 17 Jun. 1796."

Bibliothek der
Deutschen
Morgenländischen
Gesellschaft

T h e s e s .

I.

EZECHIELIS cap. I. 4—28 non est, nisi sollemnis illa Hebræorum formula de Jehova in tempestate Cherubis vecto, (Ps. XVIII. 10 sq.) poëtica amplificata atque exornata, maxime ex auctoris ipsius ingenio.

II.

Vers. 20 verba שמה הרוח ללכת elliptice dicta, pro: אשר יהיה שמה הרוח ללכת (ut vers. 12.) scilicet quocumque ventus tenderet. Est repetitio ejus, quod proximis verbis dictum fuit.

III.

Vers. 24 קול כנפיהם, *strepitus alarum*, coeli fragorem significat. At vers. 25 קול מעל הרקיע, *vox de expanso*, intelligenda de voce Dei strato insidentis et verba nunc facere incipientis, quæ ab se in faciem prolapso excepta esse dicit vates versu 28.

IV.

Cap. III. 6 lectio לא אם haud solicitanda. Sensus hic: Quamquam si non ad illos, Israëlitas, te ablegarem, sed ad populos barbaros, hi sane aures tibi haud erant negaturi.

V.

Vers. 15 Cetib וְאִשָּׁר וְאִשָּׁר enuntiandum וְאִשָּׁר seu וְאִשָּׁר; a verbo שׁוּר, *accessi ad exules, oculos defigens, septiduum inter eosdem versans attonitus.*

VI.

Vers. 25 נתנו impersonaliter dictum. Sensus: haud magis in publicum prodeas, quam qui funibus sit alligatus; haud magis verba facias, quam qui ligatam habeat linguam.

VII.

Cap. V. 5. 6. *Hoc significat Hierosolymam, quam medias inter gentes collocavi, medias inter terras alias, ut cæteris omnibus exemplum præberet veræ religionis morumque castitatis: at ipsa posthabitis meis edictis pejorem etiam se exhibuit cæteris gentibus —*

VIII

Vers. 7 in postremis verbis vox לא non est abjicienda, etiamsi haud desunt codices sat multi, qui voce ista careant, ob locum parallelum, cap. XI. 12.

IX.

Vers. 15 non est cur ex וְהִתְחַהּ facias וְהִתְחַהּ, est enim subita e secunda persona in tertiam transitio.

X.

Cap. VI, 9 lectio נשברתי recedit quidem ab norma grammatica, sed firmatur tamen auctoritate Alexandrini interpretis, qui posuit ὀμύμωσα, juravi, נשבעתי.

XI.

Cap. VII. 11. non est cur pro lectione כָּהּ substituaturs בָּהּ. Vertimus, adhibita verbi כָּהּ significatione arabica, in semet ipsis non habent Babylonii vim eminenti.

XII.

Vers. 20 verba וצבי עריו לגואן שמהו posita sunt pro וצבי ערים שמו לגואן, decus suum pulcherrimum (h. e. templum) adhibuerunt ad insolentiam (h. e. mihi ut ægre facerent.)









D: De 50

sb.

ULB Halle

3/1

000 867 101



